cutere terram omni plaga. quotiescumque voluerint. Et cum
finierint testimonium suum. bestia quae ascendit de abysso
faciet adversus illos bellum. & vincet illos. & occidet illos.
& corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnae. quae
vocatur spiritualiter sodoma. & aegyptus. ubi & dominus
eorum crucifixus est. Et videbunt de populis. & tribubus.
& linguis. & gentibus corpora eorum tribus diebus. & dimi
dio. & corpora eorum non dimittent sepeliri in monumentis.
Et habitatores terrae gaudebunt super eis. & laetabuntur.
& munera mittent alter alteri. quia duo prophetae isti cru
ciaverunt habitatores terrae. Et post tres dies & dimidium
spiritus vitae a deo intravit in illos. & steterunt super pedes
suos. & timor magnus cecidit super eos qui videbant eos.
Et audierunt vocem magnam de celo dicentem illis. Ascendite
huc. Et ascenderunt in celum in nube. & viderunt illos inimici
eorum. Et in hora illa terrae motus factus est magnus. & decima
pars civitatis cecidit. & occisa sunt in terraemotu nomina
hominum septem milia. & reliqui in timore dederunt gloriam
deo celi. Vae. una vae. Ecce adhuc veniunt duo vae post haec.

Et septimus angelus tubauit. & facta sunt voces magnae in celo
dicentes. Regnum hujus mundi domini nostri. & christi ejus.
& regnabit in saecula saeculorum. Et vigintiquattuor seniores
qui in conspectu dei sedent in sedibus suis. & adorant deum.
dicentes. Confitemur tibi domine deus omnipotens. qui es. & qui
eras. & qui venturus es. quia accepisti virtutem tuam magnam.
& regnasti. Et irati sunt gentes. & venit ira tua. & tempus
mortuorum judicari. & reddere mercedem servis tuis prophetis.
& sanctis. & timentibus nomen tuum. pusillis & magnis. & per
dere eos qui perdunt terram. Et apertum est templum dei in
celo. & visa est arca testamenti ejus in templo ejus. & facta
sunt fulgura. & voces. & terraemotus. & grando magna.

Et signum magnum apparuit in celo. mulier amicta sole. & luna
sub pedibus ejus. & in capite ejus corona stellarum duodecim.
Et in utero habens. & clamat parturiens. & cruciatur ut pariat.
Et visum est signum in celo. & ecce draco magnus rufus habens
capita septem. & cornua decem. & in capitibus suis septem
diademata. Et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum
celi. & misit eas in terram. & draco stetit ante mulierem quae
erat paritura. ut cum peperisset filium ejus devoraret. Et
peperit filium masculum qui recturus erat omnes gentes in
virga ferrea. & raptus est filius ejus ad deum. & ad thronum
ejus. & mulier fugit in desertum ubi habet locum paratum a
deo. ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta.

Et factum est proelium magnum in celo. Michael & angeli ejus
proeliabantur cum dracone. & draco pugnabat & angeli ejus.
& non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in celo.
Et projectus est draco ille magnus serpens antiquus. qui vocatur
diabolus & satanas. qui seducit universum orbem. projectus est
in terram. & angeli ejus cum illo projecti sunt. Et audivi vocem
magnam in celo dicentem. Nunc facta est salus & virtus. & regnum
deo nostro. & potestas christi ejus. quia projectus est accusator
fratrum nostrorum. qui accusabat illos coram deo nostro die ac
nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni. & propter
verbum testimonii sui. & non dilexerunt animas suas usque ad
mortem. Propterea laetamini celi. & qui habitatis in eis. Vae
terrae & mari. quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam.
sciens quod modicum tempus habet. Et postquam vidit draco
quia projectus est in terram. persecutus est mulierem quae peperit
masculum. Et datae sunt mulieri duae alae aquilae magnae. ut
volet in desertum in locum suum. ubi nutritur tempus. & tempora.
& dimidium temporis a facie serpentis. Et misit serpens post
mulierem aquam tamquam flumen. ut eam faceret trahi a flumine.
Et adjuvit terra mulierem. & aperuit terra os suum. & absorbuit
flumen quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulie
rem. & abiit facere proelium cum reliquis de semine ejus. qui
custodiunt mandata dei. & habent testimonium jesu christi.
Et stetit super arenam maris.

Et vidi de mari bestiam ascendentem habentem capita septem.
& cornua decem. & super cornua ejus decem diademata. & super
capita ejus nomina blasphemiae. Et bestia quam vidi similis
erat pardo. & pedes ejus sicut ursi. & os ejus sicut os leonis.
Et dedit illi draco virtutem suam. & thronum suum. & potestatem
magnam. Et unum de capitibus ejus quasi occisum in mortem.
& plaga mortis ejus curata est. Et admirata est universa terra
post bestiam. & adoraverunt draconem qui dedit potestatem bestiae.
& adoraverunt bestiam dicentes. Quis similis bestiae. & quis
poterit pugnare cum ea. Et data est ei bocca loquens blasphemias
& superbias. & data est ei potestas facere menses quadraginta
duos. Et aperuit os suum in blasphemias ad deum. blasphemare
nomen ejus. & tabernaculum ejus. & eos qui in celo habitant.
Et datum est illi bellum facere cum sanctis. & vincere illos.
& data est illi potestas in omnem tribum. & populum. & linguam.
& gentem. Et adorabunt eum omnes habitantes terram. quorum
non sunt scripta nomina in libro vitae agni qui occisus est ab
origine mundi. Si quis habet aurem audiat. Si quis in captivitatem
duxerit. in captivitatem vadet. Si quis occiderit gladio. oportet
eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum.

Et vidi alteram bestiam ascendentem de terra. & habebat cornua
duo similia agni. & loquebatur sicut draco. Et potestatem
primae bestiae omnem faciebat in conspectu ejus. & fecit terram
& habitantes in ea adorare bestiam primam. cujus curata est
plaga mortis. Et fecit signa magna. ut & ignem faciat descendere
de celo in terram coram hominibus. Et seducit habitantes terram
propter signa quae data sunt illi facere in conspectu bestiae.
dicens habitantibus terram. ut faciant imaginem bestiae quae
habet plagam gladii. & vixit. Et datum est illi ut det spiritum
imagini bestiae. & loquatur imago bestiae. & faciat quotquot
non adoraverint imaginem bestiae occidi. Et faciet omnes pusillos
& magnos. & divites. & pauperes. & liberos. & servos habere
characterem in dextera manu sua. aut in frontibus suis. Et ne
quis possit emere aut vendere. nisi qui habet characterem aut
nomen bestiae. aut numerum nominis ejus. Hic sapientia est.
qui habet intellectum. computet numerum bestiae. Numerus enim
hominis est. & numerus ejus sescenti sexaginta sex.

Et vidi & ecce agnus stabat super montem sion. & cum eo centum
quadraginta quattuor milia habentes nomen patris ejus scriptum
in frontibus suis. Et audivi vocem de celo tamquam vocem aquarum
multarum. & tamquam vocem tonitrui magni. & vox quam audivi
sicut citharoedorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant
quasi canticum novum ante sedem. & coram quattuor animalibus.
& seniores. & nemo poterat dicere canticum. nisi centum quadra
ginta quattuor milia. qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum
mulieribus non sunt coinquinati. virgines enim sunt. Hi sequuntur
agnum quocumque ierit. Hi empti sunt ex hominibus primitiae deo
& agno. & in ore eorum non est inventum mendacium. sine macula
enim sunt ante thronum dei.

Et vidi alterum angelum volantem per medium celum. habentem
evangelium aeternum. ut evangelizet sedentibus super terram. &
super omnem gentem. & tribum. & linguam. & populum. dicens
voce magna. Timete deum. & date honorem ei. quia venit hora
judicii ejus. & adorate eum qui fecit celum. & terram. & mare.
& fontes aquarum. Et alius angelus secutus est dicens. Cecidit.
cecidit babylon illa magna. quae de vino irae fornicationis suae
potavit omnes gentes. Et tertius angelus secutus est illos dicens
voce magna. Si quis adoraverit bestiam & imaginem ejus. & acce
perit characterem in fronte sua. aut in manu sua. & ipse bibet de
vino irae dei. quod mixtum est merum in calice iracundiae ejus.
& cruciabitur igne & sulphure coram angelis sanctis. & ante
conspectum agni. Et fumus tormentorum eorum ascendet in
saecula saeculorum. Et non habebunt requiem die ac nocte qui
adorant bestiam & imaginem ejus. & si quis acceperit characterem
nominis ejus. Hic patientia sanctorum est. qui custodiunt mandata
dei. & fidem jesu. Et audivi vocem de celo dicentem mihi. Scribe.
Beati mortui qui in domino moriuntur. amodo jam dicit spiritus.
ut requiescant a laboribus suis. opera enim illorum sequuntur illos.

Et vidi & ecce nubes candida. & super nubem sedentem similem
filio hominis habentem in capite suo coronam auream. & in manu
sua falcem acutam. Et alius angelus exivit de templo clamans
voce magna ad sedentem super nubem. Mitte falcem tuam. & mete.
quia venit hora tibi metere. quia aruit messis terrae. Et misit
qui sedebat super nubem falcem suam in terram. & messa est terra.
Et alius angelus exivit de templo quod est in celo. habens & ipse
falcem acutam. Et alius angelus exivit de altari. qui habebat
potestatem super ignem. & clamavit voce magna ad eum qui habebat
falcem acutam. dicens. Mitte falcem tuam acutam. & vindemia
botros de vinea terrae. quoniam maturae sunt uvae ejus. Et misit
angelus falcem suam in terram. & vindemiavit vineam terrae.
& misit in lacum irae dei magnum. Et calcatus est lacus extra
civitatem. & exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum.
per stadia mille sescenta.

Et vidi signum alterum in celo magnum & mirabile. septem angelos
habentes plagas septem novissimas. quia in ipsis consummata est
ira dei. Et vidi tamquam mare vitreum mixtum igne. & eos qui
victoriam adepti fuerant de bestia. & de imagine ejus. & de numero
nominis ejus. stantes supra mare vitreum. citharas dei habentes.
& cantant canticum moysi servi dei. & canticum agni. dicentes.
Magna & mirabilia opera tua domine deus omnipotens. justae &
verae viae tuae rex saeculorum. Quis non timebit domine. & magnificabit
nomen tuum. quoniam solus sanctus. quoniam omnes gentes venient
& adorabunt in conspectu tuo. quoniam judicia tua manifestata sunt.
Et post haec vidi. & ecce apertum est templum tabernaculi testimonii
in celo. Et exierunt septem angeli habentes septem plagas de templo.
vestiti lapide mundo candido. & praecincti circa pectora zonis aureis.
Et unum ex quattuor animalibus dedit septem angelis septem phialas
aureas plenas iracundiae dei vivi in saecula saeculorum. Et impletum
est templum fumo de majestate dei. & de virtute ejus. & nemo poterat
introire templum donec consummarentur septem plagae septem angelorum.

Et audivi vocem magnam de templo dicentem septem angelis. Ite.
& effundite septem phialas iracundiae dei in terram. Et abierunt.
& effudit primus phialam suam in terram. & factum est vulnus
malum & pessimum in homines qui habebant characterem bestiae.
& qui adorabant imaginem ejus. Et secundus effudit phialam suam
in mare. & facta est sanguis tamquam mortui. & omnis anima vivens
mortua est in mari. Et tertius effudit phialam suam in flumina.
& in fontes aquarum. & facta est sanguis. Et audivi angelum
aquarum dicentem. Justus es domine qui es. & qui eras. sanctus.
quia haec judicasti. quia sanguinem sanctorum & prophetarum
effuderunt. & sanguinem eis dedisti bibere. Digni enim sunt.
Et audivi alterum de altari dicentem. Etiam domine deus omnipotens.
vera & justa judicia tua. Et quartus effudit phialam suam in solem.
& datum est illi aestuare homines igne. & aestuaverunt homines
aestu magno. & blasphemaverunt nomen dei habentis potestatem
super plagas istas. & non egerunt poenitentiam ut darent illi
gloriam. Et quintus effudit phialam suam in sedem bestiae. & facta
est regnum ejus tenebrosum. & commanducaverunt linguas suas
prae dolore. & blasphemaverunt deum celi prae doloribus suis.
& prae vulneribus suis. & non egerunt poenitentiam ab operibus
suis. Et sextus effudit phialam suam in flumen magnum euphraten.
& exsiccata est aqua ejus. ut paretur via regibus qui ab ortu solis
sunt. Et vidi de ore draconis. & de ore bestiae. & de ore pseudo
prophetae. tres spiritus immundos similes ranis. Sunt enim spiritus
daemoniorum facientes signa. & procedunt ad reges terrae universi
congregare illos in proelium ad diem magnum omnipotentis dei.
Ecce venio sicut fur. beatus qui vigilat. & custodit vestimenta sua.
ne nudus ambulet. & videant turpitudinem ejus. Et congregavit
illos in locum qui vocatur hebraice armagedon. Et septimus effudit
phialam suam in aera. & exivit vox magna de templo a throno.
dicens. Factum est. Et facta sunt fulgura. & voces. & tonitrua.
& terraemotus factus est magnus qualis non fuit ex quo homines
fuerunt super terram. tantus terraemotus sic magnus. Et facta est
civitas magna in tres partes. & civitates gentium ceciderunt.
& babylon magna venit in memoriam ante deum. dare illi calicem
vini indignationis irae ejus. Et omnis insula fugit. & montes non
sunt inventi. Et grando magna sicut talentum descendit de celo
in homines. & blasphemaverunt deum ex plaga grandinis. quoniam
facta est plaga ejus nimis.

Et venit unus de septem angelis qui habebant phialas. & locutus
est mecum dicens. Veni. ostendam tibi damnationem meretricis
magnae quae sedet super aquas multas. cum qua fornicati sunt reges
terrae. & inebriati sunt qui habitant terram de vino prostitutionis
ejus. Et abiit in spiritu in desertum. & vidi mulierem sedentem
super bestiam coccineam. plenam nominibus blasphemiae. habentem
capita septem. & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura
& coccino. & inaurata auro. & lapide pretioso. & margaritis.
habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione. & immun
ditia fornicationis ejus. & nomen scriptum in fronte ejus. Mysterium.
babylon magna. mater fornicationum. & abominationum terrae.
Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum. & de sanguine
martyrum jesu. Et admiratus sum cum vidissem illam admiratione
magna. Et dixit mihi angelus. Quare admiraris. ego dicam tibi
sacramentum mulieris. & bestiae quae portat eam. quae habet capita
septem. & cornua decem. Bestia quam vidisti fuit. & non est. & ascensura
est de abysso. & in interitum ibit. & mirabuntur habitantes terram.
quorum non sunt scripta nomina in libro vitae a constitutione mundi.
videntes bestiam quae fuit. & non est. & erit. Hic sensus est qui habet
sapientiam. Septem capita. septem montes sunt. super quos mulier
sedet. & reges septem sunt. Quinque ceciderunt. unus est. & alius
nondum venit. & cum venerit. oportet illum modicum tempus manere.
Et bestia quae erat. & non est. & ipsa octavus est. & de septem est.
& in interitum vadit. Et decem cornua quae vidisti. decem reges sunt.
qui regnum nondum acceperunt. sed potestatem tamquam reges una
hora accipient post bestiam. Hi unum consilium habent. & virtutem
& potestatem suam bestiae tradent. Hi cum agno pugnabunt. & agnus
vincet illos. quia dominus dominorum est. & rex regum. & qui cum illo
sunt vocati. & electi. & fideles. Et dicit mihi. Aquae quas vidisti
ubi meretrix sedet. populi sunt. & gentes. & linguae sunt. Et decem
cornua quae vidisti in bestia. hi odient fornicariam. & desolatam
facient illam. & nudam. & carnes ejus manducabunt. & ipsam igni
comburent. Dedit enim deus in cordibus eorum facere voluntatem
ejus. & facere unum consilium. & dare regnum suum bestiae. donec
consummentur verba dei. Et mulier quam vidisti est civitas magna.
quae habet regnum super reges terrae.

Et post haec vidi alium angelum descendentem de celo. habentem
potestatem magnam. & terra illuminata est a gloria ejus. Et exclamavit
in fortitudine dicens. Cecidit. cecidit babylon magna. & facta est
habitatio daemonum. & custodia omnis spiritus immundi. & custodia
omnis volucris immundae. & odibilis. quia de vino irae fornicationis
ejus potaverunt omnes gentes. & reges terrae cum ea fornicati sunt.
& mercatores terrae de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.
Et audivi alteram vocem de celo dicentem. Exite populus meus de ea.
ne participes sitis delictorum ejus. & de plagis ejus non accipiatis.
quoniam pervenerunt peccata ejus usque ad celum. & recordatus est
deus iniquitatum ejus. Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis.
& duplicate duplicia secundum opera ejus. in calice quo miscuit
misceat illi duplum. Quantum glorificavit se. & in deliciis fuit.
tantum date illi tormentum & luctum. Quia in corde suo dicit.
Sedeo regina. & vidua non sum. & luctum non videbo. Propterea
in una die venient plagae ejus. mors. & luctus. & fames. & igne
comburetur. quia fortis est dominus deus qui judicabit illam.
Et flebunt & plangent se super illam reges terrae. qui cum ea
fornicati sunt. & in deliciis vixerunt. cum viderint fumum incendii
ejus. Longe stantes propter timorem tormentorum ejus dicentes.
Vae. vae civitas illa babylon. civitas fortis. quia una hora venit
judicium tuum. Et negotiatores terrae flebunt & lugebunt super
illam. quia merces eorum nemo emet amplius. merces auri. & argenti.
& lapidis pretiosi. & margaritae. & byssi. & purpurae. & sericae.
& cocci. & omne lignum thyinum. & omne vas ebureum. & omne vas
de ligno pretiosissimo. & aere. & ferro. & marmore. & cinnamomum.
& odoramentum. & unguentum. & thus. & vinum. & oleum. & similam.
& triticum. & jumenta. & oves. & equorum. & rhedarum. & mancipia.
& animas hominum. Et poma desiderii animae tuae discesserunt
a te. & omnia pinguia & praeclara perierunt a te. & jam non
invenient ea amplius. Mercatores horum qui divites facti sunt ab
ea. a longe stabunt propter timorem tormentorum ejus. flentes &
lugentes. & dicentes. Vae. vae civitas illa. quae amicta erat bysso.
& purpura. & cocco. & inaurata auro. & lapide pretioso. & margaritis.
quia una hora destituta est tanta divitia. Et omnis gubernator.
& omnis qui in locis navigat. & nautae. & quicumque in mari operantur.
de longe stetit. & clamabant videntes locum incendii ejus. dicentes.
Quae similis civitati huic magnae. Et miserunt pulverem super capita
sua. & clamabant flentes & lugentes. dicentes. Vae. vae civitas illa.
in qua divites facti sunt omnes qui habebant naves in mari de pretiis
ejus. quia una hora desolata est. Exulta super eam caelum. & sancti
apostoli & prophetae. quia judicavit deus judicium vestrum de illa.
Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum. & misit
in mare dicens. Hoc impetu mittetur babylon illa civitas magna.
& amplius non invenietur. Et vox citharoedorum & musicorum. & tibicinum.
& tubicinum non audietur in te amplius. & omnis artifex omnis artis
non invenietur in te amplius. & vox molae non audietur in te amplius.
& lumen lucernae non luceat in te amplius. & vox sponsi & sponsae
non audietur in te amplius. quia mercatores tui erant principes terrae.
quia in veneficiis tuis erratae sunt omnes gentes. & in ea sanguis
prophetarum & sanctorum inventus est. & omnium qui interfecti sunt
in terra.

Post haec audivi quasi vocem magnam turbarum multarum in caelo
dicentium. Alleluia. Salus. & gloria. & honor. & virtus domino
deo nostro. quia vera & justa judicia ejus. quia judicavit de meretrice
magna quae corrupit terram in fornicatione sua. & vindicavit sanguinem
servorum ejus de manu ejus. Et iterum dixerunt. Alleluia. Et fumus
ejus ascendit in saecula saeculorum. Et ceciderunt seniores viginti
quattuor. & animalia quattuor. & adoraverunt deum sedentem super
thronum. dicentes. Amen. Alleluia. Et vox de throno exivit dicens.
Laudate deum nostrum omnes servi ejus. & qui timetis eum pusilli
& magni. Et audivi quasi vocem turbae magnae. & sicut vocem aquarum
multarum. & sicut vocem tonitruorum magnorum dicentium. Alleluia.
quia regnavit dominus deus noster omnipotens. Gaudeamus & exultemus.
& demus gloriam ei. quia venerunt nuptiae agni. & uxor ejus praeparavit
se. Et datum est illi ut cooperiat se bysso splendenti & candida.
Byssus enim justificationes sanctorum sunt. Et dicit mihi. Scribe.
Beati qui ad coenam nuptiarum agni vocati sunt. Et dicit mihi.
Haec verba dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum.
Et dicit mihi. Vide ne feceris. conservus tuus sum. & fratrum tuorum
habentium testimonium jesu. Deum adora. Testimonium enim jesu est
spiritus prophetiae. Et vidi apertum caelum. & ecce equus albus.
& qui sedebat super eum vocabatur fidelis & verax. & cum justitia
judicat & pugnat. Et oculi ejus sicut flamma ignis. & in capite ejus
diademata multa. habens nomen scriptum quod nemo novit nisi ipse.
Et vestitus veste aspersa sanguine. & vocatur nomen ejus verbum dei.
Et exercitus qui in caelo sunt sequebantur eum in equis albis. vestiti
byssino albo & mundo. Et de ore ejus procedit gladius ancipiter.
ut in ipso percutiat gentes. & ipse reget eas in virga ferrea.
& ipse calcat torcular vini furoris & irae omnipotentis dei.
Et habet in vestimento & in femore suo scriptum. Rex regum.
& dominus dominantium. Et vidi unum angelum stantem in sole.
& clamavit voce magna dicens omnibus avibus quae volabant per
medium caelum. Venite. congregamini ad coenam magnam dei.
ut manducetis carnes regum. & carnes tribunorum. & carnes fortium.
& carnes equorum. & sedentium in eis. & carnes omnium liberorum.
& servorum. & pusillorum. & magnorum. Et vidi bestiam. & reges
terrae. & exercitus eorum congregatos facere proelium cum illo
qui sedebat in equo. & cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia.
& cum ea pseudoprophetes qui fecit signa coram ipso. quibus seduxit
eos qui acceperunt characterem bestiae. & qui adoraverunt imaginem
ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.
Et reliqui occisi sunt in gladio sedentis super equum. qui exivit
de ore ejus. & omnes volucres saturatae sunt carnibus eorum.

Et vidi angelum descendentem de caelo. habentem clavem abyssi.
& catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem serpentem
antiquum. qui est diabolus & satanas. & ligavit eum per annos mille.
Et misit eum in abyssum. & clausit. & signavit super illum.
ut non seducat amplius gentes. donec consummentur mille anni.
Et post haec oportet illum solvi modico tempore. Et vidi sedes.
& sedentes super eas. & judicium datum est illis. & animas
decollatorum propter testimonium jesu. & propter verbum dei.
& qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus. & non
acceperunt characterem in fronte sua. & in manu sua. & vixerunt
& regnaverunt cum christo mille annis. Reliqui mortuorum non
vixerunt donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima.
Beatus & sanctus qui habet partem in resurrectione prima. in his
secunda mors non habet potestatem. sed erunt sacerdotes dei & christi.
& regnabunt cum eo mille annis. Et cum consummati fuerint mille
anni. solvetur satanas de carcere suo. & exibit. & seducet gentes
quae sunt super quattuor angulos terrae. Gog & magog. & congregabit
eos in proelium quorum numerus sicut arena maris. Et ascenderunt
super latitudinem terrae. & circumdederunt castra sanctorum.
& civitatem dilectam. & descendit ignis de caelo. & devoravit eos.
Et diabolus qui seducebat eos. missus est in stagnum ignis & sulphuris.
ubi & bestia & pseudoprophetes. & cruciabuntur die ac nocte in
saecula saeculorum. Et vidi thronum magnum candidum. & sedentem
super eum. a cujus conspectu fugit terra & caelum. & locus non
inventus est eis. Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in
conspectu throni. & libri aperti sunt. & alius liber apertus est
qui est vitae. & judicati sunt mortui ex his quae scripta erant
in libris secundum opera ipsorum. Et dedit mare mortuos qui in eo
erant. & mors & infernus dederunt mortuos suos qui in ipsis erant.
& judicatus est unusquisque secundum opera sua. Et mors & infernus
missi sunt in stagnum ignis. Haec est mors secunda. Et qui non
inventus est scriptus in libro vitae. missus est in stagnum ignis.

Et vidi caelum novum & terram novam. Primum enim caelum & prima
terra abiit. & mare jam non est amplius. Et ego joannes vidi sanctam
civitatem novam jerusalem descendentem de caelo a deo. paratam
sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno
dicentem. Ecce tabernaculum dei cum hominibus. & habitabit cum eis.
& ipsi populus ejus erunt. & ipse deus cum eis erit eorum deus.
Et absterget deus omnem lacrimam ab oculis eorum. & mors ultra
non erit. neque luctus. neque clamor. neque dolor erit ultra.
quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno. Ecce nova
facio omnia. Et dicit mihi. Scribe. quia haec verba fidelissima
sunt & vera. Et dixit mihi. Factum est. Ego sum alpha & omega.
principium & finis. Ego sitienti dabo de fonte aquae vivae gratis.
Qui vincit possidebit haec. & ero illi deus. & ipse erit mihi filius.
Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicariis
& veneficis & idolis & omnibus mendacibus pars illorum erit in
stagno ardenti igne & sulphure. quod est mors secunda.

Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas novissimis
septem plagis. & locutus est mecum dicens. Veni. ostendam tibi
sponsam uxorem agni. Et abiit me in spiritu in montem magnum
& altum. & ostendit mihi civitatem sanctam jerusalem descendentem
de caelo a deo. habentem claritatem dei. & lumen ejus simile lapidi
pretioso. tamquam lapidi jaspidis. sicut crystallum. Et habebat
murum magnum & altum. habebat portas duodecim. & in portis
angelos duodecim. & nomina inscripta quae sunt nomina duodecim
tribuum filiorum israel. Ab oriente portae tres. & ab aquilone portae
tres. & a meridie portae tres. & ab occidente portae tres. Et murus
civitatis habebat fundamenta duodecim. & in ipsis duodecim nomina
duodecim apostolorum agni. Et qui loquebatur mecum habebat mensuram
arundinem auream. ut metiretur civitatem. & portas ejus. & murum.
Et civitas in quadro posita est. & longitudo ejus tanta est quanta
& latitudo. Et mensus est civitatem de harundine per stadia duodecim
milia. & longitudo & altitudo & latitudo ejus aequalia sunt.
Et mensus est murum ejus centum quadraginta quattuor cubitorum.
mensura hominis. quae est angeli. Et structura muri ejus lapidea
jaspidis. ipsa autem civitas aurum mundum simile vitro mundo.
Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum
primum jaspis. secundum sapphirus. tertium chalcedonius. quartum
smaragdus. quintum sardonyx. sextum sardius. septimum chrysolithus.
octavum beryllus. nonum topazius. decimum chrysoprasus. undecimum
hyacinthus. duodecimum amethystus. Et duodecim portae duodecim
margaritae sunt per singulas. & singulae portae erant ex singulis
margaritis. & platea civitatis aurum mundum tamquam vitrum
perlucidum. Et templum non vidi in ea. Deus enim omnipotens
templum illius est. & agnus. Et civitas non indiget sole neque luna
ut luceant in ea. Nam claritas dei illuminavit eam. & lucerna ejus
est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine ejus. & reges terrae
afferent gloriam suam & honorem in illam. Et portae ejus non
claudentur per diem. nox enim non erit illic. Et afferent gloriam
& honorem gentium in illam. Et non introibit in eam aliquod
coinquinatum. & abominationem faciens & mendacium. nisi qui
scripti sunt in libro vitae agni.

Et ostendit mihi fluvium aquae vivae splendidum tamquam crystallum.
procedentem de sede dei & agni. In medio plateae ejus. & ex utraque
parte fluminis lignum vitae afferens fructus duodecim. per menses
singulos reddens fructum suum. & folia ligni ad sanitatem gentium.
Et omne maledictum non erit amplius. Sed thronus dei & agni in illa
erit. &

Timor dilectionis sci-
fidei autem initium adgratiam
dum est. IN NATIVITATE BEATI
IOHANNIS BAPTISTE
IBI NOS POSSI DIL ME IN
no tuarū suarum amc
qua quicquam faceret
a principio. Ab arno ordinata sum
& ex tunc quū ante quā terra fieret
N condum erant abyssi. & ego iam
concepta eram. Necdum fo-
aquarum eruperant. Necdum
montes grauj mole constiterant,
ante colles ego parturiebar. Ad
huc terram non fecerat & flumina
& cardines orbis terre. Quando
pparabat celos aderam. quando
Kremsmünster, Fr. II 171



nē peccatū accipere p nom ei omēs qui credunt meū
n illo teatē. ubi ecdiscplis
uñ ibant in castellū qđ erat in spacio stadioꝝ sexa
ginta ab hierlm nomine emaus Et ipsi loque
bant ad inuicē de his oīb, que acciderant. Et fac
tū ē dū fabularent & secū quererent. & ipse, app'm
quasi ibat cū illis. Oculi aut illoꝝ tenebantur
ne eū agnoscerent. Et ait illis. Qui sunt hi sermo
nes quos confertis ad inuicē ambulantes, & estis
tristes. Et respondens unus cui nom cleopas dixit
ei. Tu solus peregrinus es in hierlm. & n cognouisti
que facta sunt in illa his diebꝫ. Quib, ille dixit. Que
Et dixerūt. De iesu nazareno. qui fuit uir ppheta po
tens in opere & sermone. coram oī pplo. Et quomodo tradiderūt eum
eū summi sacerdotes & principes nri in dampnatio
nē mortis. & crucifixerūt eū. Nos aut sperabamus
quia ipse esset redempturus israel. Et nunc super hec omnia
tertia dies ē hodie. qđ hec facta sunt. Sed & mulieres
quedā ex nris terruerunt nos. que ante lucē fuerunt
ad monumentū & n inuento corpore ei. uenerunt
dicentes. se etiā uisione angloꝝ uidisse. q dicunt eū
uiuere. Et abierunt q dā ex nris ad monumentū & ita
inuenerūt sic mulieres dixerāt. ipsū uero n inuenerūt.
Et ipse dixit ad eos. O stulti & tardi corde ad credēn
dū in oīb, que locuti sunt pphete. Nonne hec opor
tuit pati xp'm & ita intrare in gl̄am suā. Et incipi
ens a moyse & oīb, ppheis interp'tabat illis in omib,
scripturis que de ipso erant. Et appropinquauerunt ca
stello quo ibant. & ipse se finxit longius ire. Et coegerūt
illū dicentes. Mane nobiscū. quo ad uesperascit
& inclinata ē iā dies. Et intrauit cū illis. & factū est
dū recumberet cū illis. accepit panē & benedixit
ac fregit & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eoꝝ

XII. Jahrh. 2. Hälfte (Sickel)



Epistoler / Evangelien, 11./12. Jh.
(Aufschrift auf der Mappe)

& cognouerunt cū & ipse cognouit eos oculis eoꝝ. Et
dixerunt adiuuā nos. Nonne cōr nr̄m ardens erat in
nobis dū loqueret in via & aperiret nobis scr̄ip
turas? Et surgentes eadē hora regressi sunt in hie
rusalē & inuenerunt congregatos undecim & eos
qui cū ipsis erant dicentes. Qd surrexit dns uere
& apparuit Symoni. Ipsi narrabant que erant ges
ta in via & quomō cognouerunt eū in fractione
panis. Dixerunt illis. Hec dicente illis. Ipse
Surgens paulus & manu silentiū indicens ait. Viri
fres. filii generis abrahā & qui in vobis timent dm
uob̄ uerbū salutis huius missum est. Qui enī habitant
hierlm & principes eius hunc ignorantes neq; uoces
pphetarū que per omne sabbatū legunt iudicantes im
pleuerūt. Et nullā causā mortis in eo inuenientes rogā
uerūt pylatū ut interficerent eū. Cūq; cōsumassent
oīa que de eo scripta erant. deponentes
eū de ligno. posuerūt in monumento. Ds uero suscita
uit eū a mortuis. Qui uisus est per dies multos. his
qui simul cū eo ascenderant de galilea in hierlm.
qui usq; nūc sūt testes eius ad plebē. Et nos uob̄ adnun
tiamus eam que ad patres nros repromissionem facta
est. quō hanc ds adimpleuit filiis nr̄is. Resistentes
uāq; xpm dnm nr̄m. Lucam.
Illo t. Stante ihē in medio discipulorū suoꝝ
& dixit eis. Pax uob̄. Ego sū nolite timere. Conster
nati aūt & conterriti. existimabant se spm uidere.
Et dixit eis. Qd turbati estis & cogitationes ascen
dunt in corda ura. Videte manus meas & pedes
mos. quia ipse ego sū. Palpate & uidete. quia spūs
spūs carnē & ossa non habet. sicut me uidetis habere.
Et cū hoc dixisset. ostendit eis manus & pedes
Adhuc illis non credentibus & mirantibus p gaudio

II / 73

Epistolar / Evangeliar, 11./12. Jh.

(Aufkleber auf der Mappe)

Kremsmünster II / 73

Bernhard Fix 5

Kremsmünster, Fr. III/146

8° Fe 200

Nam quod peccatorē d
quęrendā mentis inced
mitatē infirmitate pl
tentur corporis testatu
hodierna lectio· inqu
[sa] nando paralitico dns
Confide fili· remittunt
tibi peccata tua· Quo
qui grauiorib sunt fl
is inuolutu· neq; aduen
puenire merent·r·
quotes ęta inpsemu
um sempitnę damna
nis accipiant· Ueru

Aldog. VII

us purgate puc
se cognouerimus· nec forte exc
riusq; adhibitę curationi carnis
obstet lucis interne causa ualitu
do mtis· Discamus flagellis p
ceptoris humiliter substernere
bitantes nos minus pati qu
mereamur· semp illius sentent
tię memores· quia beat hom
qui corripit adnō· Et ipse in
apocalypsi ego inquit· quos
amo· arguo & castigo·
Confugiam sedulis ad domun
orationis· ubi secreta libertat

Schrift von Hand Fik!

Einband von 8° Fe 200 Aesop; Sermo 11./12. Jh.,

in Parabolae Matth. 1-8, in Ascendens Iesus in navicul
oder in Confide fili, remittuntur tibi peccata! oder: Dixit hom
paralytico — oder: Ecce offerebant ei paralytic —

ThLL VII 2, 261 m / 26 Zeile, Adde in fi
plagis involuti nulli ampliori!

ThLL unter Curatio (curtus) nichts!

T 58, 59, 60 Lex (Fabricius Bellus) Dona pro / rum [illegible]
vor allem Henri Bergé, les Cisterciens et la parabole,
247 f. verbindl.!

Kreuzmünster